Dissertatio inauguralis medica de praeservatione spasmodicorum morborum ... / [Matthias Machal].

Contributors

Machal, Matthias.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Kittleri, [1750]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/rphupnbw

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

27

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
PRAESERVATIONE SPASMODICORVM MORBORVM

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOS. NATVR. PROFESSORE PVBL. ORDINAR.
FACVLT. MED. H. T. DECANO, IMPER. ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE ET COMITE PALATINO CAESAREO,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME OBTINENDIS
D. XXII. *APRILIS A. S. R. MDCC L.*
H. L. Q. C.
IN REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
MATTHIAS MACHAL,
CARNOVIA-SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE, TYPIS KITTLERI

27

VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO

ET CONSVLTISSIMO

DOMINO

ANTONIO BALTHASAR WALTHER,

SACRAE REGIAE MAIESTATI BORVSSORVM

A CONSILIIS BELLICIS,

DIRECTORI COLLEGII MEDICI

QVOD WRATISLAVIAE EST

SPECTATISSIMO,

DOMINO AC MAECENATI SVO

PERQVAM GRATIOSO

PIA DEVOTIONE AETERNVM SVSPICIENDO:

VT ET
SPLENDIDISSIMO AC AMPLISSIMO
EIVSDEM LOCI
REGIO COLLEGIO MEDICO ET SANITATIS,

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS
AMPLISSIMISQVE

DOMINIS

PRVDENTIA, DOCTRINA, VIRTVTE
MVNERVMQVE AVCTORITATE
ORNATISSIMIS,

DOMINIS MAECENATIBVS
ATQVE
PATRONIS

OBSERVANTIA, PIETATE ET OBSEQVIO
COLENDIS ET DEVENERANDIS,

HASCE INAVGVRALES PAGINAS,
SVB ARDENTISSIMIS
PRO EORVM
SALVTE ET FELICITATE
NVNCVPATIS VOTIS,
IN VLTERIOREM STVDIORVM SVORVM COMMENDATIONEM
SACRAS ESSE CVPIT,
TANTORVM TAMQVE ILLVSTRIVM AMPLISSIMORVMQVE NOMINVM
CVLTOR PERENNIS,
MATTHIAS MACHAL.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PRAESERVATIONE SPASMODICORVM MORBORVM.

PROOEMIVM.

Morborum omnium ea eſt natura ac indoles, vt non vno veluti impetu corpus inuadant, ſed a minoribus orti mutationibus, maiora ſubinde capiant incre-

menta. Sic ſanus ceteroquin homo numquam in febrem aliquam incidet, niſi vel quaedam in humoribus adfuerit diſpoſitio, ad generandam materiam febrilem, vel ab extra aliquid acceſſerit, quod iisdem talem induxerit mutationem. Qui frequentiori crapula tonum inteſtinorum reddidit debiliorem, ac viſcidam ſimul vel biliosam in primis viis collegit ſaburram, is facile, accedente corporis refrigeratione, in febrem incidet intermittentem, quam alius non diſpoſitus, licet itidem perſpirationem turbauerit per refrigerationem, non experietur. Sed et ſaniſſimus homo, ad aliquem accedens maligno et contagioſo morbo laborantem, ſubtili miasmate per poros reſorbentes M. S. communicato, in eundem incidet morbum, niſi cito miaſma eiiciatur. Si quis itaque ſanitatem illaesam conſeruare, morbosque vitare cupiat, is ea fugiat, quae ad morboſum ſtatum corpus diſponunt, vel ſuſceptam peregrinam materiam, quantum fieri poteſt, celerrime e corpore eiiciat.

ciat. Hoc modo morbi in prima veluti herba ſuffocantur, longeque facilius arcentur, quam ſi ſemel turbatis iam ſolidorum et fluidorum motibus, eorumque natura corrupta, ſaevitiam ſuam in corpus exercuerint. Cum vero *ſpaſmodici morbi* non minimi ſint eorum, quibus ſubinde fragile corpus noſtrum adfligitur, haud abs re fore putaui, ſi eorundem *praeſeruationem*, ac quomodo caute vitari queant, ſingulari opera exponerem, ſimulque viam mihi aperirem, ad ſummos in Medicina honores legitime aſſequendos. Eo itaque fine, pro inaugurali ſpecimine exhibendo, pauca quaedam iam hac de re commentabor. Secundet conamina haec qualiacunque noſtra ſummus Medicus, coeli terraeque dominus!

§. I.

Ex iis, quae in praefamine dicta fuere, facile intelligi poterit, quid ſub ipſa intelligatur *morborum praeſeruatione.* Conſtituit nempe illa, noſtro ſenſu, non niſi *earum cauſſarum, quae prima morbi iaciunt fundamenta, congruam remotionem.* Sic viſcida atque biliosa ſaburra, febrem tandem, ſi diutius ventriculo et inteſtinis inhaeſerit, productura, ſi tempeſtiue fuerit per conuenientia laxantia e corpore eliminata, imminens febris non ſubſequetur, et ſubiectum a morbo tali praeſeruabitur.

§. II.

Non difficulter inde cognoſci poteſt, faciliorem eſſe eorum morborum praeſeruationem, qui lente admodum

dum ſubiecta inuadunt, quam qui celeriora capiunt incrementa. In his enim vixdum morbi initia in conſpectum veniunt, cum totum corpus, iam a virulenta eiusdem indole deprauatum, in omnibus ſuis turbatur actionibus, neque ad morbum praecauendum tempus Medico datur.

§. .II

Spaſmum dicimus *praeternaturalem fibrae contractionem.* In duo vero potiſſimum genera commode diuidi is poteſt: eſt enim vel in *vaſculis ſanguiferis*, ac *febris* dicitur; vel *in muſculoſis ac membranaceis partibus*, vbi, pro locorum diuerſitate, varia ſortitur nomina. In febribus ſpaſmo affici ſanguifera vaſa, poſt tot antiquorum Medicorum figmenta et nugas, immortalis nos docuit *Frider.* HOFMANNVS; in muſculoſis vero et membranaceis partibus ſpaſmos occurrere, nemo vnquam negauit, et experientia abunde nos de eodem reddit certos.

§. IV.

Recepto in Medicorum ſcholis more, ii tantum morbi *ſpaſmodici* audiunt, in quibus ſpaſmus eſt in muſculis, vel membranis. Sic *colica* dicitur *ſpaſmodica*, vbi ſpaſmo inteſtinorum canalis adficitur; *cardialgia ſpaſmo-*

dica ea eſt, in qua ventriculus ſpaſmo tenetur; *motus ſpaſmodici* ſunt, vbi muſculi, ad voluntatis arbitrium alias adhibiti, praeter voluntatem iam conuelluntur. Spaſmus muſculos ita infeſtans, vt modo muſculus ipſe, modo eius antagoniſta, ab eodem infeſtetur, *convulſio* dicitur. Patet ergo, et eos morbos, in quibus convulſio adeſt, ad ſpaſmodicos eſſe referendos.

§. V.

Praeſeruabitur morbus ſpaſmodicus, *remota ea cauſſa, quae primum ſpaſmi ponit fundamentum.* (§.I. et III.) Qui talem itaque morbum praeſeruare cupit, is cauſſas eiusdem perſpectas habeat oportet. Noſtrum itaque iam erit, eas potiſſimum enarrare cauſſas, quibus prima horum morborum iaciuntur fundamenta, vt eo dein commodius eorundem exponi queat praeſeruatio.

§. VI.

Fibrae corporis noſtri elaſticae ſunt, adeoque elongari poſſunt et contrahi. Sub naturali ſtatu fibras breuiores fieri a maiori fluidi neruei influxu, conſtat ex Phyſiologia. Sic vitales et naturales motus originem ducunt a contractione fibrarum, vel ob mechanicam in cerebro ſtructuram, vel ob qualemcunque irritationem

in

in corde et aliis partibus factam, contingente (*). Fieri enim potest, vt talis sit, nobis licet adhuc incognita, interior cerebri structura, iuxta quam alternis vicibus influxus huius fluidi in quosdam neruos determinetur. Sed et alteram legem semper obseruari in corpore nostro constat, omnem nempe irritationem, in minoribus vasculis contingentem, motum sequi fluidi intra vas contenti, eiusdemque versus irritatum locum maiorem affluxum. Illapsa oculo arenula irritat maxime sensibiles oculi tunicas, statim constricta vascula lacrymalia fundunt lacrymas, quod fieri vtique non posset, nisi eius fluidi, quod in glandulis lacrymalibus secernitur, maior ab irritatione redderetur affluxus. Idem itaque in neruis contingere debet. Irritatis tunicis neruorum, maior sequetur fluidi neruei adfluxus, adeoque fibrae contractio et motus.

§. VII.

Cum spasmus sit praeternaturalis fibrae contractio (§. III.); haec vero a maiori pendeat fluidi neruei influ-

(*) Nondum certo inter Physiologos constat, qualis sententia in motu cordis sit probabilior. Iis, qui irritationem in corde ab irruente sanguine fieri, indeque motum excitari existimant, nuper demum accessit magnus ceteroquin inter Gallos Medicus, Dn. SENAC, in Tractatu *de Corde*, qui superiori anno Lutetiae Parisiorum prodiit, sub titulo: *Traité de la structure du Coeur, de son action, et de ses maladies.*

xu (§. anteced.): ſequitur, vt ſub ſpaſmo maior adſit, ad fibras ſpaſmo adfectas, fluidi neruei adfluxus. Cauſſa vero ſpaſmum efficiens praeternaturalis quoque eſſe debet, cum alias ſub ſano quoque et incolumi corporis ſtatu ſuccedere deberet. Irritationem maiorem efficere fluidi neruei verſus partem aliquam adfluxum, vidimus §. anteced. ſed maior quoque fluidi neruei fiet adfluxus, elaſtico hoc fluido ab animi pathematibus agitato. Concludimus inde, ſpaſmi cauſſam vel in irritatione conſiſtere, vel in animi quodam adfectu, adeoque vbi ſpaſmus occurat, ibi vel irritationem eſſe praegreſſam, vel animi vehementiorem commotionem. Haec generalis ſpaſmi cauſſa eſt. Sed ad praeſeruationem morbi alicuius non ſufficit generalem eiusdem noſſe cauſſam, quin ſpeciales cauſſae exponendae ſunt, et methodus has ſpecialiores cauſſas euitandi, eſt demonſtranda. Parum enim aegro conſules, ſi ſaltem ſpaſmum vitandum eſſe praecipies, vbi a febre praeſeruari velit, niſi peculiares cauſſas, quibus febrilis ille vaſorum ſpaſmus excitetur, cognoueris, tuaeque curae commiſſo remotiores quoque cauſſas expoſueris, quas vitare debet, ſi ſanus eſſe velit. Spaſmum ergo inducens irritatio, a quibus cauſſis deriuari debeat, iam demonſtrandum erit, vt his tandem cognitis, praeſeruatio eo dein commodius poſſit inſtitui.

§. VIII.

§. VIII.

Irritatio *duplicem* potiſſimum agnoſcit *cauſſam:* vel *tenſionem fibrae ſolito maiorem*, vel *particularum acrium in eandem actionem.* Tenſione elementa fibrarum magis a ſe inuicem diſtrahuntur, canalis nerueus fit anguſtior, vnde motus peculiaris imprimitur fluido nerueo, a quo motu orta dein idea animo peculiarem illam offert ſenſationem. Particula irritans tremulum motum fibris imprimit, ſique is ad cerebrum, fluidi neruei ope, propagatur, itidem irritationis ideam animus accipit. Vtrumque iam nobis eſt conſiderandum.

§. IX.

Vaſa corporis noſtri fibris cincta ſunt circularibus ac longitudinalibus (per principia anatomica). Vaſe aliquo vel a ſanguine, vel alio fluido repleto, parietes vaſis a ſe inuicem magis recedunt: fibrae itaque idem ambientes extenduntur. Videre hoc quotidie licet in pulſu arteriarum, quae a ſanguine, per cordis ſyſtolen intruſo, dilatantur. Si itaque in vas aliquod plus ſanguinis intrudatur, quam capere ſub ordinario ac naturali ſtatu poſſit, praeternaturalis orietur fibrarum circularium tenſio, adeoque earum irrritatio (§. anteced.), indeque ſpaſmus (§. VII.). Nimia itaque vaſorum oppletio ſpaſmum producet. Sed talis nimia vaſorum a ſan-

guine oppletio *plethora* dicitur: hanc ergo cauſſam eſſe ſpaſmi, patet. Plethora autem duplex eſt, vel *ad vaſa*, vel *ad vires:* Illa valde quidem repleta ſupponit vaſa, ſed non ita tamen repleta, vt ſanguinis vis ſuperet vim ac reactionem vaſorum. Haec vero eſt, vbi vis illa ſanguinis vaſorum vim ſuperat. Facile ergo patet, priorem ad ſpaſmum generandum remotiorem tantum ſuppeditare cauſſam, cum plethora ad vaſa nullo modo noxia corpori ſit, niſi valde commoueatur. Dum enim vaſorum vis non ſuperatur a vi ſanguinis, ſemper reactio vaſorum ad propellendum ſanguinem ſufficiens erit. Aucto vero ſanguinis motu, ob maiorem eius ſimul maſſam, facile vtique ſuperabitur vaſorum actio ab actione ſanguinis, adeoque tunc demum deſinet eſſe plethora ad vaſa tantum, et fiet plethora ad vires. *Plethora ad vires*, cum minorem reactionem ſupponat vaſorum, quam ſanguinis actionem, ſequitur vt vaſa ſub eadem ſemper magis magisque extendantur, cum ad contractionem ſiue reactionem neceſſario requiſitae vires deſint. Praeternaturalis ergo fiet vaſorum expanſio, fibrarum circularium tenſio ac ſpaſmus.

§. X.

Plethora alio modo a Medicis diuidi ſolet in *vniuerſalem* ac *particularem*. Vniverſalis ea eſt, vbi omnia

vaſa

vaſa ſanguifera corporis ſanguine turgent: particularis, vbi ad aliquam corporis partem maior ſanguinis adfluxus vel congeſtio facta eſt, indeque praeternaturalem expanſionem quaedam tantum vaſa experiuntur. Vtrumque ſpaſmodicorum morborum inſeruit productioni, vt plurimum tamen particulares illae ſanguinis congeſtiones, cum ex vniuerſali plethora plures ſimul alii propullulent morbi, originem ſuam inde trahunt.

§. XI.

Frigoris eam vim eſſe ſcimus, vt conſtringat vaſa, adeoque ſanguinis per eosdem tranſitum impediat. Fit inde, vt aliorſum maiori copia ruat ac particularem plethoram, ſiue *congeſtionem*, efficiat. Pedes cum inteſtinis per plura vaſa ſanguifera connectuntur; pedum itaque refrigeratio in plethorico homine maiorem ſanguinis verſus inteſtina efficere poteſt adfluxum. Vaſa ſanguifera, per membranas inteſtinorum discurrentia, hoc modo nimis extenduntur, indeque eorum efficitur ſpaſmus (§. VIII.). Idem vero accidere poteſt, ſi in viris, haemorrhoidalis, in foemellis vero, menſtruus fluxus turbetur. Vaſa enim haemorhoidalia interna cum vena portae, externa vero cum iliacis iunguntur, quae cum aliis, per inteſtina diſperſis, denuo connecti conſtat. Sanguinis itaque effluxu in hac parte cohibito, ad alia inte-

inteſtinorum vaſa regurgitans, ſpaſmos ibi facile excitabit. Eodem modo cum vtero comparatum eſt, ſiquidem et ex hac valde vaſculoſa parte eo certius ad inteſtina ſanguis regurgitabit, quo maior eſt, ſub menſtrua purgatione, ſanguinis ad eundem adfluxus. Facile autem nunc patet, quod ex enarratis hisce cauſſis *colica* oriri poſſit *ſpaſmodica*; hinc quomodo haec praeſeruari optime poſſit, iam diſpiciendum erit.

§. XII.

Primo patet in genere plethoram eſſe minuendam, cum, ſanguinis quantitate nimia imminuta, regurgitationes eius ad certa quaedam loca non tantum alant periculi. Fit haec plethorae imminutio quam commodiſſime per Venaeſectionem. Sed haec quanam in parte erit inſtituenda? Fateor, nihil hic in genere poſſe adfirmari, ſed ſecundum ſubiectorum naturam et conſtitutionem omnia eſſe diiudicanda. Si enim plethorico ſubiecto, fluxu haemorrhoidali vel catameniis rite ſuccedentibus, venam in brachio ſecueris, euocato inde ad ſuperiora ſanguine, fluxum hunc facilius turbabis, et plus efficies damni, quam ſi plethora non fuiſſet ita imminuta. Contra ſi nimius hic fuerit fluxus, in pedibus ſecta vena, maiorem efficies ſanguinis verſus inferiora adfluxum, et ſic malo omi-

ne,

ne, fluxum per ſe iam ſatis largum augebis, vt vel in vitae diſcrimen aegri adducantur. Nimio itaque vel haemorrhoidali, vel menſtruo fluxu praeſente, ſatis ſecure in brachio vena pertundetur; rite vero ſuccedente eodem, in pede potius V.S. erit inſtituenda. Cum porro frigus regurgitationes tales, ſpaſmum dein inducentes, efficiat, quis non videt, frigus eſſe fugiendum, et quam maxime pedum refrigerationem. Minus itaque ſanitati ſuae conſulunt, qui ſaepe, dum lectum mane relinquunt, vel nudis incedunt pedibus in pauimento cubiculi ſatis ſaepe frigido, vel ſolis tamen calceis, absque tibialibus, per integras ſaepe horas, incedunt.

§. XIII.

Quodſi vero talis forte refrigeratio facta fuerit, indeque ſpaſmus metuendus ſit, quid facto opus ſit, iam indicabimus. Minime omnium hic calidiorum pharmacorum, vel etiam poſitive diaphoreticorum, ſuaderemus vſum. Cum enim ſpaſmi a regurgitatione ſanguinis, in plethoricis vtplurimum ſubiectis, accidere ſoleant, in his autem commotiones ſanguinis peſſimos vtplurimum exſerant effectus, vtique hinc maior aliqua commotio per calidiora talia pharmaca, tantum abeſt vt praecauere ſpaſmum imminentem eundemque auertere poſſit, vt eum potius augeat, acceleret ac grauiorem reddat. Valde aucto nempe ſanguinis motu eiusdem augetur vis ac in latera vaſorum actio: augetur ergo hoc

modo etiam vaſorum reactio, quae cum in fibrarum circularium contractione et abbreuiatione conſiſtat, quid mirum, inde quoque augeri poſſe ſpaſmum (§. IX.)? Deinde calida haec pharmaca agunt vtplurimum vel ſalino-alcalino acri principio, vel oleo ſalibus veluti armato: haec vero principia cum ſtimulando agant et fibras irritando, ſpaſmum itidem augebunt (§. VII.).

§. XIV.

Blandiora itaque exhibenda erunt diapnoica, veluti antimonium diaphoreticum, vel ceruſſa antimonii, cum antiſpaſmodicis, cinnabari, vel nitro, ac quibusdam abſorbentibus remixta, in hunc modum: Rec. ℥ii diaph. C. C. ſine igne praep. Lap. 69. citr. ⦶ dep. aa ʒj. Cinnab. nat. ℈j. M. F. Pulv. divid. in x. p. aeq. D. ad Chartam. Vel, ſi mauis, infuſum theiforme, ex vegetabilibus non nimis acri et volatili principio gaudentibus parandum. Formula ſequens eſſe poterit: ℞. Herb. Veronic. Scord. Flor. Cham. vulg. Salv. aa. Mj. rad. Vincetox. ℥ß. Sem. Foen. ʒij. M. C. C. D. ad chartam, quod vel ſolitarie, vel ſubiuncto ſimul puluere exhiberi poterit; immo et ſolum infuſum herbae Theae porrigi poteſt, quo tranſpiratio et externae cutis quaedam relaxatio ſequatur. Optime ſimul conducent frictiones cum pannis calidis in pedibus inſtitutae, vel pediluvia ex ſimplici aqua, vel ſi mauis, cum furfuribus vel flor. Chamom. vulg. decocta. Hoc modo ſanguis denuo ad inferiora deri-

deriuabitur, et ſpaſmi vel iam quadantenus incipientes remittent, vel imminentes auertentur.

§. XV.

Alicuius porro partis debilitatio maiorem efficere poteſt verſus partem aliam ſanguinis adfluxum, dum legibus hydraulicis, quas in corpore noſtro, vtpote machina hydraulico-mechanica, conſtanter obſeruari animaduertimus, ita conſtitutum eſt, vt verſus eam potiſſimum partem ferantur fluida, vbi minima eſt reſiſtentia. Iam in debiliori parte minor eſt reſiſtentia; ad hanc itaque ferri fluida corporis quid mirum? Si ergo variis ex cauſſis inteſtinorum ac ventriculi tonus fuerit debilitatus, faciliores in harum partium membranis contingent ſanguinis congeſtiones, indeque ſpaſmi facilius excitabuntur. Hos itaque vt praecaueamus, fugienda ea ſunt, quae ventriculi ac inteſtinorum tonum debilitant. Fit hoc a cibis flatus excitantibus, itemque a nimio potulentorum, inprimis infuſi Theae vel fabarum Coffee, vſu vel abuſu potius, quibus relaxantur harum partium fibrae, et cohaeſio elementorum debilior redditur. A nimiis vigiliis, lucubrationibus, meditationibus profundioribus, Veneris nimio et intempeſtiuo vſu, crapula, nimia ciborum ingurgitatione, quibus oppletus eſt ventriculus, et tantum non diſtenſus, naturalem tonum, ob imminutam a nimia tenſione fibrarum elaſticitatem, pariter ille amittet. Tum ab animi pathematibus, moero-

re inprimis diuturniori, et ſexcentis aliis cauſſis, quas hic enarrare longum foret, et quae omnia ad famigeratum illud hypochondriacum malum ingenerandum et producendum aliquid conferunt. Haec itaque omnia fugienda, et aequabilis motus periſtalticus, quantum fieri poteſt, conſeruandus. Hic vero, cum nulla re magis, quam draſticis et fortioribus purgantibus turbetur et irregularis reddatur, haec quoque quam maxime erunt fugienda. Non ſolum enim ſpaſmum haec excitant, debilitatem poſt ſe relinquunt, et mucum, ad flexilitatem inteſtinorum quam maxime neceſſarium, nimia in copia egerunt, ſed et, ſi reſinoſa potiſſimum fuerint, vt Gialappa, Mechoacanna, et ſimilia, ſaepe a vaſis reſorbentibus ad M. S. delata parum ibi efficiunt bonae frugis.

§. XVI.

Si coniuncta cum his pathematibus eſt haemorrhoidum vel catameniorum turbatio, quod fieri in plethoricis ita diſpoſitis vtplurimum ſolet, itidem ſpaſmodici motus potiſſimum ſunt metuendi, et hinc vtraque haec purgatio, quantum fieri poteſt, erit promouenda, et quidem non tam purgantibus, vt empirici ſolent, ob enarratas §. anteced. cauſſas, multo minus directe emmenagogis (§. XIII.), ſed externis potiſſimum, hirudinum videlicet adplicatione, fotu, pediluviis, vitando ſimul omnia, quae fluxum talem turbant ac irregularem reddunt, frigus videlicet, nimiam ſanguinis exagitationem, etc. Quodſi vero iam adſit ventriculi atque inteſtinorum debilitas, hanc ego qui-

quidem minime per Essentias vegetabiles amaras, multo minus cum variis aromatibus et oleosis volatilibus ac spirituosis, debellare suaderem, sed potissimum iusta ac congrua diaeta, et si quid exhibendum esset, cauto martialium vsu.

§. XVII.

Infarctus vero talis atque eiusmodi vasorum a sanguine oppletio, irritationem ac spasmum producens, non minus ab enarratis accidere potest caussis, quam a sanguinis spissitudine. Spissior enim sanguis difficulter per minimos mouetur tubulos, cum propter maiorem frictionem plus virium, quibus a corde atque arteriis impellitur, amittat. Tam spissus sanguis, ope diastoles in capillaria vasa intrusus, antequam se ex iisdem expedire, ob tardiorem motum, potuit, iam noua facta cordis diastoles plus sanguinis intrudit, quo fit tandem, vt accumuletur in hisce vasis crassior sanguis, eademque expandat, fibras circulares tendat, et sic irritationem ac spasmum producat. Haec potissimum est caussa *hystericae passionis* atque in ea occurrentium spasmorum, itidemque *hypochondriaci* mali, quod potissimum in spasmis intestinorum consistit, recte monente Illust. b. m. HOFFMANNO (*). Foemellae enim, lautioris potissimum conditionis, vitam agunt sedentariam, parum bibunt, et si quid bibant, illud saepius non tam diluit sanguinem, quam inspissat, vt saturatior potus Coffee; deinde variis farina-

(*) Med. rat. system. Tom. IV. Part. III. Sect. I. cap. 6. §. I.

ceis delectantur, quae omnia, tam fluidarum in sanguine partium defectum, quam crassiorum atque tenaciorum copiam generant, vt proinde plane mirum non sit, huic vitae generi addictas foemellas saepiuscule atroci hoc sequioris sexus flagello diuexari. Hypochondriacorum vero sedentaria vtplurimum vita, et motus voluntarii defectus, satis superque spissitudinem sanguinis adesse docent, quae eo magis augetur, si per varias §.XV. enarratas caussas ventriculi tonus fuerit debilitatus, vt inde, laesa digestione, laedatur quoque chylificatio, ex chylo vero minus rite praeparato pravus etiam, spissus crassiorque generetur sanguis.

§. XVIII.

A sanguinis porro spissitudine ortus spasmus in musculosis partibus, *rheumatismum*, artuum *dolores*, ipsamque *arthritidem* (*) inferre valet, quam a sola plethora, cum spissitudine sanguinis coniuncta, ortam, saepius a se animaduersam passim refert Illustr. *Frid.* HOFFMANNVS, consentiente medicae artis parente, HIPPOCRATE, in Libro *de flatibus*. Quamuis negari omnino non possit, dyscrasiam ac intemperiem sanguinis plurimum ad generandos hosce morbos valere, recte animaduertente *Carolo* PISONE (**) atque BALLONIO (***). Hi om-

(*) Distinguimus hic inter dolorem artuum ipsamque arthritidem, pro diuersitate gradus atque caussarum, secuti laudatum HOFFMANNVM, l. c. Tom. III. Sect. I. §. 36.

(**) *de morbis ex serosa colluvie oriundis*, Sect. V.

(***) *de Rheumatismo.*

omnes morbi quomodo praeſeruari debeant, iam demonſtrandum erit.

§. XIX.

Pro hocce ſcopo obtinendo ordinarie vel ſanguinis ſpiſſitudo eſt praecauenda, vel ſi iam adſit, corrigenda. Praecauetur autem haec ſpiſſitudo, ſi chylificatio ac ſanguificatio rite perficiantur. Laudabilis generabitur chylus, ſi iuſta obſeruetur eſculenta inter ac potulenta proportio. Haec mihi quidem ſufficere videtur, ſi ſit in ratione 1: 3. ita vt potulenta quantitate triplici eſculenta ſuperent. Deinde ſi cibi rite manducentur, ſi ventriculi robur, quantum fieri poteſt, conſeruetur, fugiendo omnia §. XV. expoſita; ſi ſaliuae iuſta conſeruetur quantitas, cuius idcirco nimiam eiectionem, praeſertim breui ante et poſt paſtum, per tabaci ſuctionem aut maſticatoriorum vſum proritatam, ſedulo vitandam eſſe, facile intelligitur. Quam male enim ſibi conſulant, qui ſaliuam nimis crebro exſpuunt, vel a BOERHAAVIO (*) adductum teſtatur exemplum, qui in Gallica aula numerum hypochondriacorum et tabeſcentium inſigniter auctum eſſe adfirmat, ob neſcio quos paſtillos aromaticos, quos mandere crebrius tunc temporis aulicis more receptum erat. Porro quoque motus voluntarius non eſt negligendus, cum eius ope non ſolum augeatur reſpiratio et reciproca pulmonum inflatio, ſicque inſimul ſanguificatio, quae huic viſceri potiſſimum debetur, rectius perficiatur; ſed et in muſculis ſub eorundem

(*) In *Praelect. Acad.* ab Illuſtr. HALLERO editis, Tom. I. p. 181.

dem frequentiori contractione conquaſſetur ſanguis, ſubigatur, atque intimius cum chylo commiſceatur.

§. XX.

Praeſente vero iam ſanguinis ſpiſſitudine, vt ſpaſmus praecaueatur, vitanda erunt omnia illa, quae ſanguinem vehementius commouent atque exagitant. Sub vehementiori enim ſanguinis motu facilius in minimos tubulos ſanguis intruditur, qui ibidem dein incluſus, expandit vaſa, eaque irritando efficit ſpaſmum. Hinc fugienda ſunt, nimia corporis commotio, potulenta ſpirituoſa, cibi aromatici, medicamenta calidiora, reſinoſa, aut oleoſa volatilia. Deinde quoque haec ſpiſſitudo congruis remediis tollenda eſt. Optime hunc in finem conducunt infuſa theiformia, ex reſoluentibus hunc in modum paranda & paullo frequentius exhibenda: ℞. Rad. Polypod. Liquirit. Bardan. aa. ℥j. Pimp. alb. ℥ß. Herb. Marrub. alb. Epithym. aa. Mj. Fl. Salv. Arnic. aa. Mß. Sem. Foenic. ℥ß. M. C. et C. D. ad chart. Infuſum tale duplicem praeſtabit effectum, ſanguinem nempe aqueis particulis diluet, et ſpiſſiores ſimul atque craſſiores partes reſoluet. Augeri operatio huius infuſi poterit, ſubiuncto vſu Mixturae, ex Tincturis alcalinis et vegetabilibus hoc modo componendae: ℞. Tinct. ♃ii acris, vel ♀iſat. ʒiij. Liqu. terr. fol. ♀ri ʒij. Eſſent. Vincetox. Pimpin. alb. aa. ʒj. M. D. ad Vitr. doſis gtt. XL. ad L. Hisce remediis ſi lenis ſed aliquamdiu continuatus corporis motus, cum potulentorum iuſta & congrua accedat quantitate, ſpiſſitudo ſanguinis facile poterit emendari.

§. XXI.

§. XXI.

Irritatio, quam ſpaſmi cauſſam eſſe diximus (§. VII.), produci quoque poteſt a *ſanguinis acrimonia*. Generatae nempe in ſanguine acriores particulae, dum celerius moto hoc fluido fortius agunt in vaſorum latera, ſenſationem ibi maiorem efficiunt, quam *irritationem* adpellamus. Varia quidem, pro diuerſitate cauſſarum, eſſe poteſt haec ſanguinis acrimonia, atque tam ex fluidarum partium figura mutata, quam ex ipſorum ſalium praeſentia, cognoſci poteſt. Salia vero vel alcalina ſunt in corpore, vel muriatica. Alcalina acrimonia, cum ad acutos potius morbos generandos inſeruiat, noſtram hic non magnopere meretur attentionem; ſed neque muriatica, quippe quae externos potius morbos, ſcabiem, vlcera, ſcorbutum, producet. Hinc ſola ea conſideranda eſt, quam *oleoſam* dicit BOERHAAVIVS, *ſalino-ſulphuream* HOFMANNVS. Haec nempe talis eſt, quae oleoſas, ſeu ſulphureas inflammabiles partes, cum ſubtiliſſimo aliquo alcalino ſale iunctas, ſiſtit, vnde ortum miaſma, ſubtiliſſimis inhaerens tubulis, rodendo irritat, ac irritando efficit ſpaſmum. Non difficulter exinde intelligitur, hanc acrimoniam, pro variis, ad quae defertur, locis, varios efficere poſſe morbos. Sic in muſculoſis partibus efficaciam ſuam exſerens, *rheumatiſmos* producet; in ligamentis, articulorum iuncturas connectentibus, *arthriticos adfectus*; in inteſtinis *colicam*; in ſpinalis medullae vaginis, *motus vagos ſpaſmodicos et convulſiuos*; in ipſis deni-

que cerebri meningibus atrociſſimam *epilepſiam.* Hi itaque morbi ſi praeſeruari debeant, vel acrimoniae proventus eſt praecauendus, vel praeſens iam acrimonia corrigi debet atque e corpore eliminari.

§. XXII.

Acrimonia ſanguinis generatur, intercepta perſpiratione, diaeta ſalſa, aromatica, ſpirituoſa, neglecto motu voluntario, turbata ſanguificatione, aliisque ex cauſſis. Potiſſimum vero turbatio perſpirationis, et errores in diaeta grauiores, illam efficiunt. Sub continuo enim ſanguinis progreſſiuo et circulatorio motu generatur, vel, ſi mauis, liberatur alcalinum principium, quod dein vna cum ſero tenuiori ſimul per poros cutis eliminatur. Poris his occluſis retentum hoc acre principium iungitur praeſenti in ſanguine oleoſo-ſulphureo principio, cum eoque in ſingularem talem morbificam tranſit materiam. Fit inde, vt potiſſimum turbatae perſpirationi tribuendi ſint adfectus rheumatici, imo et arthritici hanc agnoſcant procatarcticam cauſſam, vt proinde mirum non ſit, optime incipientes hoſce morbos, per reſtitutam periphericam hancce excretionem, auerti. Exemplum notatu ſatis dignum obſeruauit Illuſtr. Dn. PRAESES in iuvene quodam, diaetam quidem ſatis accuratam obſeruante, ſed ex haereditaria diſpoſitione iam anno aetatis XXII. podagricis inſultibus adflicto, qui cum raro, optimis licet adhibitis remediis, morbum hunc debellari poſſe perſuaſum ſibi haberet, nullo alio remedio, niſi ſolo volun-

tario

tario motu in vſum vocato, optime incipientem morbum profligauit: ſub qualibet enim paroxyſmi acceſſione, arrepto gladio, ſe in arte gladiatoria per vnam vel alteram horam exercitauit, donec largo ſudore perfunderetur. Factum ſic tandem eſt, vt non ſtagnans modo ſanguis ac lympha per vehementiorem muſculorum contractionem reſoluerentur, ſed et generatae acriores particulae fuerint eliminatae. Sed haec acriorum partium remotio parum efficiet, ſi per incongruam diaetam noua continuo acrimonia ingeneretur. Omni itaque cura errores diaetetici erunt fugiendi atque vitandi, motus voluntarius moderatus inſtituendus, potulenta diluentia adhibenda, ſi praecaueri acrimoniae generatio debeat.

§. XXIII.

Sed *praeſens* iam *acrimonia* quomodo *corrigenda*, vt ſpaſmi inde praecaueantur? Corrigi haec optime poteſt per infuſa diapnoica, quale iam §. XX. exhibuimus, quae non diluunt modo ac a ſe inuicem auellunt acres partes, interpoſitis aqueis, ſed et perſpirationem augendo corruptas partes eliminant. Similem effectum praeſtant ptiſanae, quae mucilaginoſum quoddam principium ſecum vehunt, atque ex hordeo mundato, auena excorticata, raſura C. C. cum radicibus chinae, ſarſaparillae, cichorei, parantur, addito tantillo ſeminis foeniculi, vel, ad gratiorem ſaporem conciliandum, corticis citri vel cinnamomi. Egregiam porro opem pollicetur ſerum lactis, praeſertim acidulum, quod alcalinas partes, oleoſis iunctas, non mo-

modo corrigit, ſed et diluentem ſimul praeſtat effectum, vt idcirco ante aliquot annos in Ephemeridibus Hamburgenſibus tantum non pro vniuerſali remedio aduerſus podagram venditaretur ſerum lactis tamarindinatum, ſi cum eodem China radix decoqueretur. Vitandi vero ſimul ſunt omnes cibi ſaliti, fumo indurati, vt et parcius aſſumenda aſſata caro, ob ſal alcalinum et oleum acre in hacce carne magis liberata; item calidiora aromata, ob acriores et ſulphureas, quas continent, partes; vt et ſpirituoſa, fermenteſcentia, ne his ad M. S. accedentibus, augeantur impurae ſordes. Sed ante omnia, qui dyſcraſia ſanguinis laborant, ſibi caueant a turbatione peripheric ae excretionis, ob cauſſam §. XXII. allegatam.

§. XXIV.

Ad *alteram* iam ſpaſmi *cauſſam* deuenimus §. VII. allegatam. Prolixe ſatis enim tractata irritatione, conſideranda nobis iam veniunt *animi pathemata* grauiora, indeque ortae maiores fluidi neruei exagitationes. Spaſmum oriri poſſe ab animi vehementioribus pathematibus, vt experientia conſtat, ita a priori quoque haud difficulter poteſt demonſtrari. Omnes in animo rerum corporearum ideae excitantur a fluidi neruei aliquo motu, ita vt, ſi fluidum hocce in auditorio neruo certo quodam modo fuerit commotum, inde ſoni idea oriatur; ſi in optico neruo idem factum fuerit, rerum viſibilium ſe nobis ſiſtant imagines, & ſic porro. Experientia quoque

con-

conſtat, ceſſante fluidorum in corpore motu, protinus quoque omnem ceſſare in animo cogitationem, prout hoc manifeſte ſatis in lipothymiis & ſyncope animaduertitur: concludimus exinde, quod quamdiu vincula, quibus immortalis ſpiritus noſter fragili huic corpori iunctus eſt, non diſſolvuntur, tamdiu ad ſingulas in animo repraeſentationes aliqualis fluidi neruei motus requiratur. Quo maior itaque eſt repraeſentatio in animo facta, eo quoque maior erit fluidi neruei motus, et contra. Iam Philoſophi nos docent, adfectus, ſeu animi pathemata, in maiori gradu appetitus ſenſitiui vel auerſationis conſiſtere. Maior talis appetitus vel auerſatio maiorem requirit gradum repraeſentationis: ad hunc vero maior quoque fluidi neruei motus requiritur, vel, ſi mauis, cum eo tantum, ſecundum recentiorum Philoſophorum placita, coniungitur. Quid ergo mirum, ab animi grauioribus pathematibus fluidum nerueum vehementius exagitari? Fluido autem nerueo vehementius exagitato, in quosdam neruos illud magis influere debet, quam in alios. Iam vero maior fluidi neruei in quosdam neruos influxus ſpaſmum efficit (§. VI. et VII.), adeoque patet exinde, quod ab animi pathematibus ſpaſmus oriri poſſit.

§. XXV.

Confirmatur hoc ab experientia. Gaudium enim maiorem efficit fluidi neruei in cor influxum, vt inde maior fiat fibrarum eius contractio, atque celerior hinc

eiusdem ſyſtole et diaſtole. Ira ſpaſmum potiſſimum in fellea cyſtide et ductibus excitat biliariis, ſaepe quoque in ipſo ventriculo, vt etiam vomitus ſubſequantur. Timor externam magis ſuperficiem ſpaſmodice afficit, vt contractis fibris, vaſa cingentibus, haecce anguſtentur, ac ſanguis a ſuperficie corporis introrſum pellatur, vnde pallor artuumque tremor. Imo ad inteſtina vſque ſaepe extenditur ſpasmus, vt, aucto motu periſtaltico, feces extrudantur, vnde nota eſt illa experientia, quod timor ventrem ſoluat. In infantibus quam graues ſaepe ſpaſmodici morbi ex ſolis animi adfectibus oriantur, omnibus notum eſt, qui in Medicorum ſcholis vel leuiter tantum verſati ſunt. Et foemellae quoque hyſtericis pathematibus adflictae, maiores ac vehementiores, poſt iram, paroxysmos ſpaſmosque grauiſſimos experiuntur.

§. XXVI.

Ad morbos itaque ſpaſmodicos, ex hac cauſſa ortos, rite praecauendos, generaliter quidem patet, nihil magis conducere, quam, ſi ipſi hi animi adfectus, quantum per humanam imbecillitatem licet, fugiantur. Sed cum hi in totum praecaueri nequeant, ea ſaltem vitanda erunt atque fugienda, quae motus tales irregulares augent. Pertinet huc quam maxime generis neruoſi debilitas. Ii enim, qui debilioribus gaudent neruis, non facilius modo ad animi pathemata quaeuis diſponuntur, ſed et maiores inde in corpore experiuntur motus, ſicuti id exemplo foemellarum atque infantum quotidie comprobatur.

Gene-

Generi autem neruoso maxime infesta deprehenduntur, frequens crapula, nimia venus, et nimia studia profundaeque meditationes, quae omnia ergo dispositis subiectis erunt vitanda.

§. XXVII.

Si vero irregularis talis, per animi adfectus, iam facta fuerit fluidi neruei commotio, omni cura eo adniti decet, vt haec compescatur atque sedetur, et sic imminentes spasmi auertantur. Conducunt huc maxime animi et corporis quies, pulueres nitrosi ac cinnabarini, vt et exquisitae virtutis liquor mineralis anodynus HOFFMANNI, vel qui substitui eidem potest, spiritus nitri dulcis. Pertinent huc quoque ea, quae foetidum quoddam oleum alunt, quod neruos relaxando, incipientes spasmos reprimit, vel iam praesentes minuit, e. g. Castoreum, asa foetida, aliaque similia. Merito etiam huc referenda est mira illa spasmodici morbi praeseruatio, cuius mentionem facit celeberr. Dn. D. DANIEL (*), in viro quodam, qui in infantia a terrore in spasmodico-conuulsiuos motus incidit, quales, postquam primo neglecti et ob irregularem diaetam aucti fuerunt, postmodum in prouectiori aetate nullis, optimis licet, adhibitis remediis, debellari potuerunt, donec ipse aeger, nescio cuius suasu, spiritum frumenti copiosius ingurgitare coeperit, a quo etiam tantum leuaminis obtinuit, vt, si accedente paroxysmo huius spiritus haustum sumeret, vel mitior ille

(*) *In denen Beyträgen zur Medicin. Gelehrsamkeit, p. 76. seq.*

ille euaderet, vel plane euanesceret. Caussa miri sane huius phaenomeni potissimum ab allegato celeberr. Viro tribuitur phlegmati ac oleo foetido, quo spiritus frumenti abundat, quodque relaxando neruos spasmum auertere potuit. Verum cum spiritus frumenti ex altera parte corpori plus adferat detrimenti, talem vtique praeseruationem nemini ego quidem suaderem.

§. XXVIII.

Fatendum tamen omnino est, admodum difficilem esse horum morborum praeseruationem, cum subiecta, antequam morbo aliquo corripiantur, raro regimen atque diaetam secundum Medicorum regulas instituant et obseruent. Fit inde, vt plethora, sanguinis spissitudo atque acrimonia, neruorumque debilitas subsequantur, quibus dein praesentibus, antequam haec corrigi queant, morbus iam adest, suamque exserit potentiam. Deinde animi pathemata, cum neque exstirpari possint, neque semper secundum regulas, a genuina Philosophia ac religione suppeditatas, moderari, saepiuscule ab iisdem procatarctica accedit caussa, qua morbus acceleratur. Interim tamen haecce in medium afferre non plane inutile iudicaui, vt generalibus hisce propositis, ac veluti primis lineis ductis, aliis occasionem praeberem, eosque excitarem, vt specialius in horum morborum originem inquirant, eorumque caussas demonstrando, viam pandant, qua hae vitari, et sic morbi inde oriundi auerti queant.

TANTVM.

S. D. G.